10)B

GEMINIÆ MATRIS SACRORVM TITVLVS SEPVLCRALIS EXPLICATVS;

VERVS EXEQVIARVM RITVS VNA DETECTVS;

A IOANNE IACOBO CHIFFLETIO, Equite, PHILIPPI IV. REGIS CATHOLICI Medico à Cubiculis.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIV.

MONERE, A MEMORIA; QVOD IS QVI MONET, PROINDE SIT AC MEMORIA: SIC MONIMENTA QVÆ IN SEPVLCRIS, IDEO SECVNDVM VIAM, QVO PRÆTEREVNTES ADMONEANT, ET SE FVISSE, ET ILLOS ESSE MORTALES. Varro.

ILL^{MO} ET EXCELL^{MO}
DOMINO
D. FRANCISCO DE MONCADA
MARCHIONI DE AYTONA
COMITI DE OSSONA,
BELGICÆ BVRGVNDIÆQ.
PRO REGE GVBERNATORI,
NECNON MILITIÆ
TERRA MARIQ. PRÆFECTO SVPREMO.

EXEMPLO Marci Catonis, ſepulcra legens, EXCELLENTISSIME DOMINE, non vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam; imò, vt ille, ipſis legendis in mortuorum memoriam redeo. Quemadmodum enim æternæ legis meminiſſe, prudentiæ tribuitur: ſic illâ non terreri, ſapientiæ; quia iter aperit ad vitam ærumnis, doloribus, & inuidiæ minimè ob-

noxiam. Mors verò licet reapſe omnibus ſit æqualis; ſenumque ac iuuenum funera ex æquo ſint permixta; apud poſteros tamen diſtingui ſolent, vel obliuione quæ ſolerter euitari, vel gloriâ quæ honeſtè poteſt ambiri. Hac dudum mihi, fateor, animus ad ſtudia accenſus non vulgaria, è quibus hauſi hæc paucula reconditæ doctrinæ FVNEBRIA, quæ tum ex voto meo viuentibus proſint, tum gratiæ tibi à me ſi non ſolutionem, ſaltem debitionem publicè teſtentur. Tu ſoles enim, VIR MAXIME, noſtras eſſe aliquid putare nugas: tu non ita pridem in Muſeo meo coràm adeſſe voluiſti, horarum aliquot inſumpto tractu in luſtrandis curiosè numiſmatis, gemmis, ſignis, & ſcriptis libris: in quibus, etſi conquiſitis, nihil tibi obſcurum occurrit, nihil peregrinum. Sed hæc priuata ſunt. Quid pro REGE & BELGICA, anno elapſo, qui bellici tui imperij primus fuit, non præſtitiſti? Bouchinium Comitatus Auſtreuanenſis caput, quod ab REGIS Imperio deſciuerat, illicò per te REGI aſſertum: Inſula dein S. Stephani ad

Moſam

Moſam occupata & munita, validum iniquis Batauorum prædationibus frænum: hoſtis denique, qui Brabantiam ſe velle deglutire palàm iactabat, audacia repreſſa Regio exercitu, quem tua rexit conſtans & animoſa præſentia. Diſcant exemplo tuo Magnates maturè ſe, filioſque ſuos, vtrique Palladi deuouere: diſcant Reges & Principes, ſago ſimul & togâ præclaris rerum gubernacula credere. Tu verò, HEROS INCLYTE, perge quo cœpiſti pede; omnium voluntatem in te propenſam habes, Ordinum, militum, populi, & ſic Dei: maiores in poſterum palmæ tibi non deerunt. Ego intereà ſolito fauore tuo nixus, aggredior tituli ſepulcralis à vulgo non intellecti explanationem; opportunè, ni fallor, in hac temporum infelicitate, quâ ob Sanctiſſimæ PRINCIPIS noſtræ, veræ & piiſſimæ Sacrorum Chriſtianorum Matris deceſſum, fati & mœroris acerbitate perculſi, & pullati omnes ſumus.

Viuus quadratæ formæ lapis, erutus Veſontione, in pomœrio Boreali, iuxta viam, vbi propugnaculum à S.Claudio denominatum exſtrui cœptum anno M. DC. XXXIII. *ſic eſt inſcriptus:*

GEMINIÁ. II. IVLLA
ARAVSIENSIS. MATER
SACRORVM. HIC
ADQVIESCIT
D. IVL. PI. AVGTVS. CON. PI
ISSIMAE. ET. AVRAE
SEVERI. QVI. M. PRO. F.
OBSER.

GE-

GEMINIAE TITVLVS SEPVLCRALIS EXPLICATVS A IOANNE IACOBO CHIFFLETIO.

GEMINIA. II. IVLLA.

GEMINIA, gentilitium apud Romanos nomen, ſed plebeium, frequens in antiquis monumentis apud Ianum Gruterum. Ductus ille ſupra lineam, eſt fabrile mendum. II. *ſecunda*, vel nominis numero, vel naſcendi ordine. IVLLA, cognomen Geminiæ. *In Inſcript. Orb. Rom.*

ARAVSIENSIS.

Agnomen Geminiæ à loco natali tractum, vrbe ſcilicet quæ *Arauſio*, in prouinciâ Narbonenſi; Plinio *Colonia Secundanorum*; Ptolemæo Ἀραυσίων: vnde Sidonius vocem *Arauſionenſis* deduxit. Dicta eſt poſtmodum *Arauſica*, vbi Concilia Arauſicana, ſeu Arauſicenſia celebrata annis CD. XLI. & D. XXIX. Inuſitatum vocabulum *Arauſienſis*, deductum puto à voce *Arauſia*, vel *Arauſium*. Loci porrò natalis Geminiæ hîc *Lib. 3. cap. 4.* *Lib. 6. Ep. 12.*

In Charact. hîc adiecti cauſam Theophraſtus indicauit, vbi dixit: *Si vxor obierit, monumento eius, & mariti, & patris, & matris nomina inſcribet, itémque* CVIAS *ipſa ſit.*

MATER SACRORVM.

Feminas, apud antiquos, Sacerdotes fuiſſe tam certum eſt, vt non ſit ambitiosè probandum. Sed cur Geminia hîc dicatur *Mater Sacrorum*, ſingularis eſt indagationis. Iuliam Mammæam *In Theſ. res antiq.* dictam inuenio *Matrem caſtrorum*. Goltzius ex Kalendario profert hanc ſine nomine inſcriptionem, MATRI SACRV̂M. Sola mihi reperta eſt Geminia cum honorariâ *Matris Sacrorum* appellatione. Romæ, in hortis Matthæiorum, hæc antiquo marmori ſunt inſcripta:

1102. 2. VETTIO. AGORIO
PONTIFICI. VESTAE
PONTIFICI. SOLI
QVINDECIMVIRO
AVGVRI
TAVROBOLIATO
CVRIALI
NÉOCORO
HIEROFANTAE
PATRI. SACRORVM.

Per

Per varia Sacerdotia euectus fuerat Agorius ad ſupremum *Patris Sacrorum* munus: primùm *Pontifex*, ſeu *Sacerdos Veſtæ*; deinde *Soli: Quindecimuir*, ad librorum Sibyllinorum cuſtodiam & inſpectionem: *Augur*, quarto loco, benè; quiá Numa, inter genera Sacerdotum, quartum ordinem facit de cælo ſigna obſeruantium: *Tauroboliatus*, hoc eſt, taurorum ſacrificiis ſuppoſitus & purgatus; quem ritum bellè deſcripſit Prudentius: *Curialis*, Flamen, Nonio Marcello *Curiæ Sacerdos: Neocorus*, templi cuſtos: *Hierofanta*, qui ad ſacra Hecates ſacrorum filiis & candidatis myſteria aperiebat, vt Euryclides apud Laërtium: tandem *Pater Sacrorum*, ſiue Sacerdos ſummus, cærimoniarum præſes & ſacrificiorum, in ſacris Mithriacis. Quidni Geminia noſtra, inter dicatas Sacris feminas, ad parem dignitatem, per gradus etiam aſcenderit? Romæ in baſi fractâ mentio fit MANLIÆ FADILLÆ REGINÆ SACRORVM. Metis in veteri tabulâ legitur, ARETE DRVIS ANTISTITA; quæ ſomno monita Syluano & Nymphis loci publicam memoriam dicarat. Brixiæ in S.Saluatoris extat hoc Epitaphium: COELIAE. PATERNAE. MATRI. SYNAGOGAE. BRIXIANORVM: quod idem eſt ac *matri cœtus pij*, *in* quo

Peri ſteph. hym. 10.

In Ariſtippo.

1087. 8.

62. 9.

323. 3.

quo ſacra peragi ſolita; non equidem, vt puto, Iudæorum. Hi certè tituli honorarij ad Matris Sacrorum munus tam propè accedunt, vt vnum & idem videantur. Sed nos adhuc propiùs, præferente facem magno Vate:

7. Æn. *Fit* CALYBE *Iunonis anus, templique Sacerdos.*

Calybem Iunonij templi Sacerdotem, paullò pòſt irridens Turnus ſic alloquitur:

Sed te victa ſitu, veriq; effeta ſenectus,
O MATER, *curis nequidquam exercet, & arma*
Regum inter, falsâ vatem formidine ludit.
CVRA TIBI DIVVM EFFIGIES ET TEMPLA TVERI.

Hîc diſertè *Matrem* habemus, & *templi Sacerdotem*, ob ſenium ad ſacrorum ſumma euectam. Ita noſtra Geminia, quòd reliquarum ſacra Veſontione facientium antiſtita eſſet, quòd Diuorum effigies & templa tueretur, rectè dicta fuerit in lapide *Mater Sacrorum*, in Romano municipio; vt in alio monumento, quod Cartamæ

174.8. in Hiſpaniâ, IVNIA RVSTICA dicitur SACERDOS PERPETVA ET PRIMA IN MVNICIPIO CARTIMITANORVM.

HIC ADQVIESCIT.

583.8. Sic planè Lugduni in foſſis S. Vincentij, & Medio-

Mediolani ad S. Nazarium. Defunctis enim 970. 1.
Ethnici quietem precabantur. Tibullus:

Et BENE, *diſcedens dicet*, PLACIDEQVE QVIESCAS. *Lib. 2. Eleg. 4. & vlt.*
alibi:

Sic BENE *ſub tenerâ parua* QVIESCAT *humo.*
Virgilius de Antenore:

—*Nunc* PLACIDA *compoſtus* PACE QVIESCIT. 1. *Æn.*
Rationem Tacitus adfert animo ancipiti, ob defectum Chriſtianæ fidei: *Si quis piorum* MANIBVS *locus*; *ſi, vt ſapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ*, PLACIDE QVIESCAS. *In vitâ Agric.* Huius, puto, ratiocinationis fundamento nixi, ſepulcrum vocabant AGRVM SOMNI, QVIETORIVM, & REQVIETORIVM, vt paſſim in tumulis videre eſt.

D. IVL. PI. AVGTVS.

D. nota prænominis *Decimus*, ex Polybio, Diodoro, Dionyſio, Plutarcho, Dione. *Decium* alij ex Probo & Diomede interpretantur; quod prænomen plebeium fuit, & huic planè loco magis conueniens. IVL. lego *Iullus*, nomen à quo Geminia *Iullæ* cognomentum ſumpſerit: nam ſi prænomina à viris, auctore Onuphrio, feminæ traxerunt, ab illis etiam cognomina potuerunt aſſumere; quod omiſiſſe Panuinium *Lib. de Ant. nom.*

haud miror, cùm ipſe, ad libri ſui calcem, nonnulla in eo argumento à ſe prætérita non diffiteatur. PI. AVGTVS. cognomina *Pius*, *Augtus*. Augtum alibi non legi, etſi Auctum multis locis.

CON. PIISSIMAE.

Appoſitè *coniugi piiſsimæ*, quia Matri Sacrorum: Pietas enim eximia dicatas numinibus feminas præ aliis decebat. Ceteris vxoribus, ob alias cauſas, poſitum legas, *frugaliſſimæ, fideliſſimæ, caſtiſsimæ, innocentiſſimæ, rariſſimi exempli*, &c.

ET AVRAE SEVERI.

Subaudi CONIVGI; quæ vox eleganter omiſſa, ne iam ſcripta repeteretur. Poſitus ergo fuit hic lapis duabus feminis, eodem ſepulcro conditis, Geminiæ Augti & Auræ Seueri coniugibus, fortè

—quas certus amor, quaſq; hora nouiſſima iunxit,
Quodq; rogis reſtans vnâ requieuit in vrnâ.

QVI. M, PRO. F. OBSER.

QVI, Seuerus nempe Auræ maritus. M. *monumentum:* quod etſi propriè ſit *inſcriptio ſepulcri memoriæ causâ*; hîc tamen ſumitur pro ſepulcro ædificato, vt ex ſequentibus patebit.

PRO.

PRO. F. OBSER. ſunt qui legant, *pro foribus obſerauit*. Et quidem ſepulcra fornicata ſeu concamerata, certum eſt ianuis fuiſſe clauſa. Petronius: *Præcluſis conditorij foribus*. Vopiſcus de Tacito Imperatore: *Mortis omina hæc fuerunt; Patris ſepulcrum, diſruptis ianuis, ſe aperuit*. quod prodigiale habitum, quia obſeratæ erant. Inſcriptio inedita, Romæ reperta: *In Satyr.* *In Floriano.*

DIS. MANIBVS
PIERI. AVG. L. PRAEC
PVERR. CAESARIS. N
FLAVIA. NICE. CONIVNX
B. M. TITVLVM CVM VALVIS
AENEIS. D. S. P. PERMISSV HERMAE
AVG. L. A. CVB. DOMITIAE. AVG.

Iulius Firmicus *Sepulcrorum ianitores* obiter tetigit in hæc verba: *In tertio loco Mercurius cum Saturno ab horoſcopo partiliter conſtitutus, pollinctores faciet, ac funerarios mortuorum, cadauerum cuſtodes, ac ſepulcrorum ianitores*. Verùm quia ſepulcris occluſis, ianitoribus non erat opus, crediderim hîc intelligi miniſtros viliores, qui ante abſolutum funus, ad apertas ſepulcri fores ſtarent ad remouendam turbam; vel certè qui agri muris cincti, in quo ſepulcrum eſſet, ianuam cuſtodirent. *Lib. 3. cap. 2.*

Nihilominùs lectio illa, *Pro foribus obſerauit*, probari mihi non poteſt: elegantiùs enim ſcriptum fuiſſet, *qui monumentum obſerauit*, vt *obſignare cellas* apud Plautum legitur: vel certè, *qui monumenti fores obſerauit*, vt Suetonius *obſeratas curiæ fores* dixit. Fruſtrà namq; illud *Pro*, quod eſt *ante*; quia non niſi deforis obſerabantur conditoria; nec vllus, vnà cum mortuis, ſpeluncâ ſe includebat, vt ſepulcrum ab intus obſeraret: quod ſemel clauſum, ad eum modum manebat perpetuò, & ex more. Ammianus: *Bibliothecis, ſepulcrorum ritu, in perpetuum clauſis*. Optatus Afer: *Vnicuique ſepulcro ſufficit vnum funus, & clauditur*. Diſtingue tamen, niſi ſepulcrum heredes ſequeretur, & alteri condendo denuò aperiretur: vnde C. Pedò Albinouanus conqueritur de frequentiâ funerum in domo Auguſti, quibus condendis ſepulcrum fuerat aliquoties apertum:

Caſina. *In Tito.* *Lib. 14.* *Lib. 2. adu. Parm.* *Eleg. de morte Druſi.*

Claudite iam Parcæ nimiùm reſerata ſepulcra
Claudite, plus iuſto iam domus iſta patet.

PRO. F. OBSER. alij legunt, *pro fronte obſerauit*; quod nec probo. Ager qui ad monumentum pertinebat, ſi muro cinctus, frontem habere dicebatur. Hinc Probus in Notis: IN. FR. P. VI. *in fronte pedum ſex*. IN. AG. P. X. *in agro pedum*

decem.

decem. Marmor Arundellianum ex Latinis octauum : IN. FRONTE. P. XII. IN. AGRO. P. XII. Sed hæc de priuato ſepulturæ loco, non de publicâ areâ, qualis ea fuit, quâ mulieres hæ conditæ ſunt. Neque ad rem fuiſſet, Seuerum agri fores quamuis priuati obſeraſſe, quas reſerari quotidie nullum ſecutum fuiſſet incommodum: nam ad eiuſmodi loca,itus,aditus, ambitus ſæpè conceſſus, vt paſſim in lapidibus videre eſt.

Igitur, PRO. F. OBSER. lego, *pro Flamine obſerauit:* quemadmodum F. ſingulare, Flaminem notat in Viennenſi lapide, quem *Flauio Conſtantino Auguſto* inſcripſit M. ALFEVS. APRONIANVS. PP. F. id eſt, *perpetuus Flamen*. Hoc poſito, ritum aperio à nemine hactenus obſeruatum. 283.7.

V E-

VERVS EXEQVIARVM RITVS DETECTVS.

CIRCA funera, publicis Sacerdotibus multa prohibita erant; & primùm quidem Auguribus, *contrectare feralia:* 1. *Annal.* vnde, apud Tacitum, Tiberius Germanici factum non probauit, qui cæſis ante ſextum annum in Varianâ clade militibus, & condendis trium legionum oſſibus, primum tumulo ceſpitem poſuerat; dicens, *Imperatorem Auguratu, & vetuſtiſsimis cærimoniis præditum, contrectare feralia non debuiſſe.* Pontifici deinde *cadauera inſpicere* vetitum, quòd aſpectu illorum polluto ſacrificare fas non eſſet. Hinc *Tiberius Cæ-* *In Conſ. ad Marc.* *ſar* (apud Senecam) *& quem genuerat, & quem adoptauerat*, cùm amiſiſſet; *ipſe tamen pro roſtris laudauit filium, ſtetitq́; in conſpectu poſito corpore, interiecto tantummodò velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Auguſtus quoque (apud *Lib.* 54. Dionem) *laudationem Agrippæ recitauit, velo quopiam ante mortuum expanſo.* Cauſam ſe ignorare fatetur Dio; ſed de Pontifice Senecam vera *Ad* 4. *Annal. Tacit.* ſcripſiſſe Lipſius exiſtimat, cui aſſentiuntur docti omnes: ſacer enim Pontifex erat; ideoque non

ipſum

tantùm arceri aſpectu funeſto, ſed & ſtatuas Deorum voluerunt. Albinouanus de Druſi funere id inſinuat:

Diq́ latent templis, nec iniqua ad funera vultus
Præbent, nec poſcunt thura ferenda rogo.
Obſcuros delubra tenent, pudet ora colentum
Adſpicere, inuidiæ quam meruere metu.

Imò ſi poſitæ eſſent Deorum ſtatuæ in loco vbi ſupplicia & cædes, velari eas mos fuit, aut transferri; quod notat ipſe Dio: *Claudius*, inquit, *delectabatur gladiatoribus, & præſertim meridianis. Ideò pleroſque ſeruos, qui Dominos ſub Caio & Tiberio calumniati erant, hoc modo perdebat: eorumq́ tantus fuit numerus, vt Auguſti ſtatuam eo loci poſitam iuſſerit transferri, ne aut ſemper adſpiceret cædes, aut ſemper velata eſſet.* Apud Chriſtianos, in templis mos eſt antiquus, Diuorum imagines velandi, ſacræ tempore Quadrageſimæ; quia tunc, puto, per luctum præuium, ex ritu veteri quadragenarium, in Eccleſiâ viget mortis Chriſti recordatio, velis obductis indicata; ratione ſanè ab Ethnicâ ſuperſtitione multùm diuersâ, licet vſu non abſimili.

Lib. vlt. *Me vide Lint. ſep. c.8.*

Pontifici præthereà *cadaueris contactus & ad funus deductio, ſeu proſecutio*, vetita erat. Dio in funere Cæſaris Auguſti: *Tum Tiberio impunitas* *Lib. 54.*

C *data,*

data, quòd cadauer (prohibitum enim erat) tetigiſſet, ac comitatus fuiſſet. Prohibitum erat, ne ſacræ Pontificis manus & oculi inquinarentur: quod tamen à Senatu non ſemel diſſimulatum; nam & *Auguſtus Agrippæ funus extulit*; & idem Tiberius *quorumdam illuſtrium exequias ad rogum vſque frequentauit.*

Dio loc. cit. *Suet. in Tib. c. 22*

De Flamine Diali, ſic Fabius Pictor apud Gellium: *Locum in quo buſtum eſt numquam ingreditur; mortuum numquam attingit*; FVNVS TAMEN EXEQVI RELIGIO NON EST. De eodem Feſtus: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur, quas audire Flamini Diali putabant illicitum.* Ioannes Kirchmannus vir alioqui doctiſſimus hîc hæret: *Nam ſi*, inquit, *Flamini exequiis intereſſe nefas non fuit, certè tibias ipſum audiuiſſe erit neceſſe.* Exequi funus, Kirchmannus interpretatur *exequiis intereſſe*, ſeu *proſequi funus*; ſed profectò citra acumen, & nimis vulgari fide. Nodum illum ecce ſoluo, ſi non Herculeum, necdum ſaltem à quoquam extricatum.

Lib. 10. c. 15. *Lib. 2. Fun. c. 21.*

Igitur EXEQVI verbum explico, *perficere, abſoluere:* vnde qui opus aliquod perficit, Iſidoro, AB EXEQVENDO dicitur EXECVTOR. Hinc apud Fabium Pictorem, *Flamini funus exequi, religio non eſt*: verto, *Flamini funus abſoluere, ſeu perfi-*

perficere, abſque ſcrupulo licet. quod herclè à Flamine aptiùs fieri non poterat,quàm ſepulcri,iam complicatis valuis, per ſeram occluſione; ſic enim, quia reliquias iam conditas nec videbat Flamen, nec tangebat, non polluebatur: clauſa namque monumenta pollutionis contagio ſacros homines non affeciſſe,argumento eſt, quòd *Antoninus Philoſophus* (etſi Pontifex, vt reliqui Cæſares) *ſuorum magiſtrorum ſepulcra, aditu, hoſtiis, & floribus exornare ſolitus eſſet.* Ad meum ſenſum Albinouanus de Auguſto loquens: *Iul. Capit.* *Loc. cit.*

Condidit Agrippam quo te Marcelle ſepulcro,
Et cepit generos iam locus ille duos.
Vix poſito Agrippâ TVMVLI BENE IANVA CLAVSA EST;
PERFICIT OFFICIVM FVNERIS *ecce ſoror.*

hoc eſt, vix Agrippæ generi funus abſoluit Auguſtus, obſeratâ ſepulcri ianuâ, cùm ecce ſoror eius Octauia C.Marcelli filij funus eodem modo exequitur & perficit. Vbi notandum,tumuli ianuam à Poetâ non dici nudè *clauſam*, ſed *benè clauſam*: quod de aliâ operâ quàm obſeratione non intelligo; nam *ſerâ remotâ valuas patere*, & *fores pandi*, Nonius & Varro dixerunt. Obiter quoque aduertendum, quòd vt ceſpititium ſepulcrum per glebæ iniectionem, ita lapideum *V. Patibulum. Lib. 6. de Ling. Lat.*

 &

& concameratum per obturationem, religioſum fiebat; ſcilicet occluſis valuis, quarum obſeratio, funeris erat executio. Funeris ergo munus abſoluit noſter Seuerus, ſepulcrum Geminiæ obſerando, idque vice Flaminis, fortè abſentis, qui exequi illud debuerat, vel ex munere ſuo, vel in gratiam Matris Sacrorum, & maioris honoris illi Antiſtitæ vltrò exhibendi causâ. Eo vero titulo vices Flaminis obiuit Seuerus, quòd ipſe eſſet *vir Flaminalis*, ſiue Sacerdos minor: quæ vulgaris nuncupatio ſcitè in lapide omiſſa, quia tacitè expreſſa, cùm ei tantum qui è flaminatu eſſet, Flaminis obire munus liceret. Verùm funeris executionem accuratiùs ponderemus.

Scio EXEQVIAS amplâ ſignificatione ſæpè ſumptas pro pompâ funebri, & honorariâ funeris deductione: quæ Auſonio paſſim dicitur *Exequialis honos*; Sulpitio Seuero in Vitâ S. Martini, *obſequium funeris*; Balderico in Chronico Cameracenſi, *Funebritas*, vnde vox Gallica, *Funeraille*. Nihilominùs pompæ illi & funeris deductioni qui intererant, propriè *funus ſequi*, *proſequi*, & *perſequi*, non verò *funus exequi* dicebantur. Apuleius: *Funus, toto feralem pompam proſequente populo, deducitur ad ſepulturam.* Seneca: *Funus ignoti hominis proſecuturi*. Feſtus: *Funus proſe-*

Epiſt. 3.
Lib. 1. cap. 28. & 86.
12. Met.
De Breu. vit. c. 12.

proſecuti, redeuntes ignem ſupergrediebantur aquâ aſperſi; quod purgationis genus, ſuffitum vocabant. Terentius: *Funus interim procedit, ſequimur, ad ſepulcrum venimus.* Macrobius: *Mortuos ad ſepulturam perſequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt.* Nazianzenus de funere S. Baſilij: *Plena erant fora, porticus, duplicia & triplicia tabulata, hominum illum deducentium, praeuntium, ſequentium, aſſectantium, ſeq; inuicem conculcantium.* Quibus loquendi modis docemur, ſtrictè ſumptas *exequias*, non ſignificaſſe funebrem pompam, ſed ipſam executionem, ſeu perfectionem funeris, per monumenti obſerationem, de quâ ſuprà: quæ muneri Flaminico permiſſa, teſte Fabio Pictore; ipſa verò funeris deductio, vel proſecutio, Pontifici vetita erat, vt ex Dione probauimus. Itaque *proſequi funus*, & *exequi funus*, ita differunt, vt via & terminus, vt funeratio & ſepulcrum: namque, Seruio teſte, *funeratio ſepulcrum praecedit*; id eſt, proſecutio funeris præcedit eiuſdem executionem, quemadmodum ædificatio exædificationem, ſeu ædificij perfectionem. Illas tamen dicendi formulas confusè, etſi minùs religiosè, à Scriptoribus vſurpatas inuenias, non ſecùs ac *ire exequias, venire exequias*, & *ſoluere exequias*; quæ

2. Som. Scipion. cap. 3.

In 6. Æneid.

tamen perinde diſtinguuntur. Phormio apud
Act. 5. ſc. vlt. Terentium: EXEQVIAS *Chremeti, quibus commodum*, ITE, *hem tempus eſt*. Hannibal apud
15. Punic. Silium Italicum: ——*Vos* ITE *ſuperbæ*

EXEQVIAS *animæ*.——

quod idem eſt, ac ſi dicerent, *Proſequimini funus ad perſoluendas exequias*. Apuleius: *Aſclepiades cùm fortè in ciuitatem ſe reciperet, & rure ſuo ſuburbano rediret, aſpexit in pomœriis ciuitatis funus ingens locatum; plurimos homines ingenti multitudine, qui* EXEQVIAS VENERANT *circumſtare, omnes triſtiſſimos & obſoletiſſimos veſtitu*. Homines illi multi exequias venerant, hoc eſt, ad ſepulturam corpus comitati fuerant, & ſtabant circa rogum, donec *ſupremæ exequiæ* peractæ eſſent; nempe donec oſſa lecta, defleta, depoſita, & obſeratum monumentum, quod erat verè & propriè *exequias ſoluere*, ſeu *explere*. Cornelius Gallus:

4. Florid.

Eleg. lib.

Ac velut EXPLETIS *deſinit* EXEQVIIS.

Æn. 7. Cultè Virgilius ad hunc ritum, poſt Caietæ nutricis Æneæ oſſa vrnâ condita, & inſcriptum ſepulcro nomen:

At pius EXEQVIIS *Æneas ritè* SOLVTIS,
Aggere compoſito tumuli.——

hoc eſt, poſt occluſum monumentum; quod

Oui-

Ouidio marmoreum fuit:

——vrnâque Æneia nutrix Met. 14.
Condita, marmoreo tumulo breue carmen habebat.

Mos ille notus etiam Auſonio Æmiliæ Hilariæ ſcribenti epitaphium:

Hæc quia vti mater monitis & amore fouebas, Parēt. 6.
SVPREMIS *reddo filius* EXEQVIIS.

Propertius ad Cynthiam: Lib. 4.

Cùm mihi AB EXEQVIIS *ſomnus penderet amoris,*
Et quererer lecti frigida regna mei.

Ab exequiis, hoc eſt, poſt expletum & abſolutum funus per obturationem ſepulcri.

Addo, Cœnam ſeu Epulum funebre, quod ad ipſum ſepulcrum fiebat, & ſupremas exequias ſtatim ſequebatur, inde dictum EXEQVIVM. Feſtus: *Silicernium dicitur cœna funebris, quam alio nomine* EXEQVIVM *Scriptores vocant.* quia nempe fiebat immediatè poſtquam funus executum, ſeu exequiatum erat. Varro: *Funus* EXEQVIATI *cum lauſu, ad ſepulcrum antiquo more ſilicernium confecimus.* Meleagris ap. Non.

Quæ quidem à me de exequiis dicta hactenus, tribuenda moneo vulgari & plebeio mori, quo funus (quod, ex Donato, *pompa erat exe-* In Ter. And.

quiarum) ipſas exequias ſeu ſepulturam immediatè præcedebat. In Cæſarum namque funeribus, ordine contrario quandoque id fiebat; nam priùs cremabant cadauera, & reliquias ſepulcro condebant, ordinario munere exequiarum: deinde cum otio funebrem pompam, & nouum rogum inſtruebant ad conſecrationem. Capitolinus morem illum clarè expreſſit in Antonino Philoſopho, vbi exequias à funere bellè diſtinxit: *Adriani ſepulcro* (inquit) *corpus Patris* (Antonini Pij) *intulerunt, magnifico* EXEQVIARVM *officio: mox iuſtitio ſecuto, publicè quoque funeris expeditus eſt ordo.* Verba illa, *magnifico exequiarum officio,* explico, ſumptuoſâ vrnæ collocatione, cum lacrymis, amomo, balſamo, & aliis pretioſis odoramentis, quam ſecuta eſt monumenti obſeratio. Idem de Septimio Seuero factum tradit Herodianus, cuius nempe corpus in Britanniâ ignibus traditum, cineres cum odoribus in alabaſtri vaſculum coniecti, & Romam relati; vbi, more reliquorum hominum, Marci ſepulcro ſumptuosè conditi ſunt: poſtmodum cum cereâ defuncti imagine lecto impoſitâ, peractum eſt imaginarium funus, nouaque incenſa pyra pro conſecratione. Ex quibus conſtat, ſepulturam ſeu exequias illorum Cæſarum præceſſiſſe

Lib. 3.

ceſſiſſe funebrem pompam, contra communem ritum, quo funus deducebatur longo proſequentium ordine, mox cremabatur cadauer, & conſequenter oſſa & cineres claudebantur monumento, quod poſtremum erat *exequi funus*.

Concludo, & dico, in funere plebeio ſupremas mortuorum exequias, primas fuiſſe in intentione, vltimas in executione, vnde & illis nomen. Et quia *exequias ire*, ſeu *proſequi funus*, Flamini ſeu Pontifici vetitum erat; *exequias* autem *explere*, ſiue *funus exequi* eidem licitum; rectè in lapide noſtro legemus de Seuero, *qui monumentum pro Flamine obſerauit:* id eſt, *qui vice Flaminis monumentum obſerando, ſupremas abſoluit exequias*; vel breuiùs, *qui funus executus, ſeu exequiatus eſt*. Ritus rarus, inauditus, & ſepulcri titulo reuerà dignus.

Atque hiſce paucis quia tituli ſepulcralis explicationem videor executus, finem facio, ſi priùs binis amicorum petitionibus fecero ſatis. Prima eſt, cur in pomœrio Veſontino, iuxta viam, repertus Geminiæ titulus. Lex XII. tabularum reſpondet: HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO. Ratio triplex: prima, ne fœtore corpora viuentium inficerentur: ſecunda, ne funeſtarentur ſacra

ciuitatis, quæ contaminatum iri exiſtimabant, ſi intra vrbis mœnia mortui ſepelirentur: tertia, propter ignis periculum, quia in funere Clodij ipſa curia & Porcia baſilica flagrarant. Idem per prouincias poſteà vetitum fuit, pri-

Lib. 3. §. Diuus. D. de Sep. viol. mùm D. Hadriani reſcripto, deinde Antonini Pij, quod Diocletianus & Maximianus poſteà firmarunt; ne ſanctum municipiorum ius pollueretur rerum funeſtarum aſpectu, ſed incolarum domicilio ſanctitas relinqueretur, ſacris non contaminatis. Vbi ergo mortui conde-

Metam. lib. 4. bantur? Extra ciuitatis portam. Apuleius: *Portam ciuitatis egreſſi, monumentum quoddam con-*

Lib. 30. *ſpicamur*. Circa vrbem. Liuius: *Cùm priorem populationem ſepulcris circa vrbem diruendis exercuiſſet*. In ſuburbio. Ouidius de oſſibus vrnâ concludendis:

Lib. 3. Triſt. Eleg. 3.

Atque ea cum foliis & amomi puluere miſce,
Inq́ſ ſuburbano condita pone loco.

Flor. 4. In pomœrio. iterùm Apuleius: *Aſpexit in pomœriis ciuitatis funus ingens locatum*. Denique

Epod. Od. 5. in Can. iuxta viam, vel in ipſâ viâ. Porphyrio: *In Aggeribus* (id eſt, in viis militaribus) *religiones & ſepulcra erant*. Propertius:

Lib. 2. Eleg. 1.

Si te fortè meo ducet via proxima buſto,
Eſſeda cælatis ſiſte Britanna iugis.

Quæ

Quæ omnia conueniunt loco, vbi lapis Geminiæ effoſſus, qui hauddubiè communi ſepulturæ deſtinatus fuit; extra portam, circa vrbem, in ſuburbio, in pomœrio, iuxta viam; denique non longè à Battalibus, propter frequentes cæ- *Vide Ve-*
des; vt alius ob eamdem cauſam, etiam Ve- *ſont. p. 1.*
cap. 26.
ſontione, in pomœrio Occidentali, è regione *& 31.*
arenarum, quem *campum nigrum* vocant.

Altera quæſtio eſt, cur integrum cranium, iuxta lapidem Geminiæ, cum aliis oſſibus ignem non expertis repertum. Planè exiſtimo, oſſa illa eſſe poſterioris & Chriſtiani æui, quo ſpatium ſepulturæ publicæ dicatum, extra ciuitatem ſeruatum fuerit; ad eumdem quidem vſum, ſed immutato ritu, vt vbi cadauera primùm cremabantur, eodem poſtmodum loco humata fuerint. S. Ioannes Chryſoſtomus, qui vitam mortalita- *Serm. de*
te commutauit anno Chriſti CDVII. omnem *Fide &*
Lege.
ciuitatem, & omne caſtellum, ante ingreſſum ſepulcra habuiſſe, idque, ſuo tempore, vſu receptum teſtatur. Et conſtitutio Concilij Braccarenſis primi, celebrati anno D. LXIII. de Galliæ ciuitatibus id clarè aſſeuerat, his verbis: *Firmiſſimum hoc priuilegium vſque nunc retinent Galliæ ciuitates, vt nullo modo, intra ambitum murorum, cuiuſlibet defuncti corpus ſit humatum.*

De Glor. Confeſſ. cap. 106.

S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, qui viuebat ſub finem ſexti ſæculi, agens de B. Radegunde mortuâ in vrbe Pictauenſi, ſcribens viſa, de eius funeratione diſertè narrat, *Sanctum corpus pſallendo deduci cœptum, ſub muro vrbis tranſitum, & ad ſepulturam ventum, vbi in loco Sacerdotali benedictione non ſacrato, locata capſa, in foſſâ, quæ ſpatioſor facta eſt, ablatis duorum ſepulcrorum ſingulis ſpondis.* Ibi, ante annos mille, ſepulturam Chriſtianam habemus extra vrbem, in loco profano, vbi alia corpora iam ſepulta erant. In Galliâ paſſim, extra vrbes & vicos, cœmeteria Chriſtianorum occurrunt; quæ priùs fuiſſe Ethnicorum, Diis Manibus inſcripta ſaxa oſtendunt. Propinquioribus ſæculis, pace Eccleſiæ datâ, polluta pleraque, cùm funera in vrbes & ſacras ædes reducta. Atque hinc eſt, quòd Veſontione, & alibi in templis, vix vlla reperiantur monumenta, niſi poſt ſæculum duodecimum.

Magnam porrò Veſontione mutationem vel ex eo licet colligere, quòd Geminiæ lapis eò loci effoſſus fuerit, vbi monumentum fornicatum & obſeratum non occurrit: quod tamen titulo ſuppoſitum fuiſſe, verba indicant, *hic adquieſcit*. Manibus ſcilicet haud pepercit fortuna,

na, quæ memoriam ſeruauit in viuo ſeu virgine lapide, quem Veſontini vulgò vocant *Vergenne:*

—data ſunt ipſis ſua fata ſepulcris. *Iuuen. Sat. 10.*

Mirabilem namque ſubuerſionem, & loci publici antiquitatem ſimul teſtantur oſſa grandiora integra combuſtis fragmentis confusè permixta; vrnæ variæ reliquias cinerum continentes; pocula Samia operæ eminentis; vaſcula vitrea & teſtacea poſtremo lacrymarum muneri deſtinata; lucernæ ſepulcrales teſtaceæ; armillæ æneæ; argentea & ænea Neronis & aliorum Cæſarum numiſmata, quæ hac illac ſparſa magno numero inter fodiendum operis occurrerunt: quibus certè ſi adfuiſſem, ſcriptum hoc meum plenius exiuiſſet. eo qualicumque, VIR EXCELLENTISSIME fruere, viue & vale, vt reipublicæ Chriſtianæ virtutibus tuis longùm præluceas. Bruxellæ, ex muſeo, Kal. Ianuariis anni Chriſtiani M. DC. XXXIV.

FINIS.

APPROBATIO.

GEminiæ Titulus ſepulcralis explicatus, & verus Exequiarum ritus detectus, à Joanne Iacobo Chiffletio, Medico Regio, publicam merentur lucem.

Gaſpar Eſtrix Plebanus & librorum Cenſor Antuerpiæ.

VA1
153 1684

1 Mireti Rolandi. Commentarius, Rerum in Belgio gestarum a Petro Henriquez de Azevedo. Matriti 1610

2. Symeoni Gabriel. Illustrazione degli Epitaffii e medaglie Antiche.

3. Beroso Caldeo. Le Antichità. Vinegia 1583.

4. Mazochi Alexii Symmachi. Explicatio Græcæ Inscriptionis in Pauli Pseudo Socratici extremo Labro exaratæ. Neapoli 1759.

5. Aleandri Hieronymi Junioris. Explicatio Antiquæ Tabulæ Marmoreæ Solis effigie Symbolisque exculptæ. Lutetiæ Parisiorum 1517. accedit antiquæ Inscriptionis qua L. Scipionis Barbati F. expressum est elogium explanatio

6. Chiffletii Joannis Jacobi. Portus Iccius Julii Cæsaris demonstratus. Antverpiæ 1627.

7. Ejusdem. Unitas Fortis a Marchione de Leganés Provinciis Belgicis Fidelibus Philippi IV. Nomine Proposita. ibidem 1628

8. Ejusdem. Acia Cornelii Celsi propriæ Significationi Restituta. ibidem 1633.

9. Ejusdem Gemmæ Matris Sacrorum Titulus Sepulcralis explicatus ibidem 1634. in 4.to